

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Rapina i
cum fontibus proximo et primo

Quis dicat utile hominem incommodo alterius suum commodum augere, et alterum altero aliquid detrahere? Hoc est magis contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor. Nam in principio conuictum hominum tollit. Si enim hec affectio nobis insit ut quisque propter suum emolumentum spoliaret aut uiolet alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis que est secundum naturam. Vt si unumquodque membrum putaret se plus ualere, si proximi membri ad se ualitudinem transduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset, ita est et in humana societate.

Nam sicut concessum est ut quisque malit sibi adquirere quod ad usum uite pertineat quam alteri, et hoc natura non repugnante, ita non patitur natura ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus.

Et sicut contra naturam magis est detrahere alteri sui commodi causa quam mors, quam dolor, ita magis secundum naturam pro omnibus, si fieri posset, labores et molestias suscipere quam uiuere sine molestiis in maximis uoluptatibus.

Tullius in sua rethorica.

Sed uidetur utile hominem incommodo alterius commodum suum augere et alterum alteri aliquid detrahere. Hoc autem magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor. Nam principio conuictum hominum tollit. Si enim hec affectio nobis insit ut quisque propter suum emolumentum spoliaret aut uiolet alterum, necesse est dirumpi societatem humani generis que est secundum naturam. Vt si unum quodque membrum putaret se plus ualere, si proximi membri ualitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset: ita est et in humana societate.

Nam sicut concessum est ut quisque malit sibi adquirere quod ad usum uite pertineat quam alteri, et hoc natura non repugnante, ita non patitur natura ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus.

Sed sicut contra naturam magis est detrahere alteri causa sui commodi quam mors, quam dolor, ita magis est secundum naturam pro omnibus, si fieri posset, labores et molestias suscipere quam uiuere sine molestiis in maximis uoluptatibus.

Pseudo-Guillemus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, V (J. Holmberg ed., pp.69-70, ll.21-27, 1-9).

Detrahere igitur alteri aliquid et hominem hominis incommodo suum commodum augere magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis.

Nam principio tollit conuictum humanum et societatem. Si enim sic erimus adfecti ut propter suum quisque emolumentum spoliaret aut uiolet alterum, dirumpti necesse est eam quae maxime est secundum naturam humani generis societatem. Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se ualere si proximi membri ualitudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset, sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque quod cuique possit emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas evertatur necesse est. Nam sibi ut quisque malit quod ad usum vitae pertineat quam alteri adquirere concessum est non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates copias opes augeamus.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 3.21-22 (M. Winterbottom ed., p.117, ll.6-24).

Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo itemque comitas iustitia liberalitas quam voluptas, quam vita, quam diuitiae; quae quidem contemnere et pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi magni animi et excelsi est; detrahere autem de altero sui commodi causa magis est contra naturam quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem. Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum quem hominum fama beneficiorum memor in concilio caelestium conlocavit, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis sed etiam in maximis uoluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et uiribus.

Marcus Tullius Cicero, *De officiis*, 3.24-25 (M. Winterbottom ed., p.118, ll.4-18).